

gloria, majestas cum Sancto Spiritu in *secula* (1).

## CAPUT V.

## DE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO PROCESSIONE.

Duplex questio agitatur circa processionem Spiritus Sancti inter Latinos et Græcos schismaticos. Altera, quæ præcipua est, respicit dogma ipsum; altera, quæ est secundaria, habet pro objecto additamentum, seu fidei expositionem ac declarationem adjectam symbolo constantinopolitano per particulam *Filioque*.

Utrumque enim Græci Latinis crimini vertunt, tum quod doceant Spiritum Sanctum a Patre et Filio tanquam unico principio procedere, tum quod contra concilium Ephesinum vetitam particulam *Filioque* inseruerint symbolo.

Incertum est, quo tempore cœperit prima controversia, et quo potissimum auctore. Verisimile tamen est, eam ab Arianis ac Macedonianis originem habuisse, seu verius eorum occasione (2), tumque occasione Sancti Cyrilli anathematis noni ex duodecim, quos ipse opposuerat Nestorio, in quo asseruit Spiritum Sanctum esse *proprium Christi*, quem quidem anathematismum eo sensu perstrinxit Theodoretus, quo postea videbimus. Jurgium de hac processione pariter excitavit monothelita ex occasione epistolæ synodicalis s. Martini I, teste s. Maximo Homologeta, cujus auctoritatem offert Le Quien in dissertatione prima Damascenica, § X. Iterum vero litem movit de ipsa hac processione Spiritus Sancti a Filio, Constantinus Copronymus cum suis iconomachis, eo quod se proscriptum audiverit ab Apostolica Sede (3); et sæculi IX initio exagitati a quodam Joanne monacho fuerunt monachi in monte Oliveto degentes (4). De-

(1) N. 75, p. 61. Integrum hoc caput esset legendum. Cfr. Petav. *De Trin.* lib. II, c. 6, ubi expendit vni particularum *in, cum, per, ex*, juxta veterum sensum et usum.

(2) Cfr. s. Hilari. *De Trin.* lib. VIII, § 20, cujus verba hæc sunt: *Neque in hoc nunc calumniatur libertati intelligentiæ, utrum ex Patre an ex Filio Spiritum procedentem putent esse. Non enim in incerto Dominus reliquit; nam sub iisdem dictis hæc ita locutus est: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare illa modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso... ille me clarificabit; quoniam de meo accipiet... omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi de meo accipiet et annuntiabit vobis. A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum id ipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere; certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere, quod sit accipere a Patre (seu ut MS. Vaticanus habet: Quod sit a Patre procedere). Ex his patet non solum veterum patrum doctrinam, sed patet præterea iisdem argumentis patres usos esse ad ostendendam Spiritus Sancti processionem a Patre ac Filio, quibus nos utimur. Liqueat præterea veteres nonnullos Arianos ideo negasse Spiritum Sanctum a Filio procedere, quia exinde patres colligebant Filii divinitatem.*

(3) Cfr. Le Quien *Dissert. I. Damasc.* § 41.

(4) Cfr. *ibid.* § 46, ubi ostendit ex irrefragabili chronologia perperam Pithæum et Vossium existimasse hunc Joannem monachum, auctorem tumultuum adversus monachos de monte Oliveti, esse

num sopitam fere hanc controversiam impotentis furoris Photius excitavit, ut suum eonestaret schisma ulciscereturque damnationem a Nicolao I, contra se prolata. Ex his habemus usque ad Photium neminem ex Græcis impugnasse processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, præter Nestorii fautores, monothelitas et iconoclastas hæreticos.

Quod spectat ad alteram questionem de additamento symboli constantinopolitani, res pariter incerta est, sive quoad auctorem, sive quoad tempus. In occidentalibus ecclesiis, ac præsertim hispanica, usum invaluisse canendi in Missa symbolum cum additamento *Filioque* quo tempore Gothi, ejurata hæresi Ariana, catholicam fidem professi sunt anno 589, in synodo Toletana III, certum omnino videtur (1); ex Hispania idem usus dilatatus est in Gallias; deinde vero in Germaniam et Italiam (2). Romani Pontifices circa receptam hunc usum passive, ut ita dicam, se habuerunt usque ad Photii actum; nec nisi eo temporis intervallo, quod a Photio ad Michaelem Cerularium schismatis Græci instauratorem effluxit, adjectam in Romana ecclesia symbolo fuisse particulam *Filioque* verosimilius videtur, cum nempe Benedictus VIII, adnitente Henrico Imperatore, agre tamen indulgit, ut Romæ in Missarum solemnibus symbolum constantinopolitanum caneretur (3). Certe neque Photius neque alii ante id temporis insertæ hujus particulæ romanam ecclesiam accusarunt; quod profecto non omisissent, si mos iste Romæ jam obtinuisset; quare Michael Cerularius omnium primus hæc de causa reprehendit Romanam ecclesiam, deinde Leo Acerdianus ac Nicetas cognomento Pectoratus (4).

In œcumenicis conciliis Lugdunensi et Ferrariensi seu Florentino ad unionem cum ecclesia Latina redeunt Græci, approbantes ac profitentes dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, una cum additamento symbolo inserto; donec, agente potissimum Marco Ephesino, rursus ad pristinum schisma a Florentina synodo vix digressi plerique relapsi sunt (5).

s. Joannem Damascenum; etenim tumultus ob processionem, quam monachi profitebantur Spiritus S. a Patre et Filio, excitati sunt anno 808 et seqq. sub Leone III, postremis Caroli Magni temporibus; s. Joannes vero Damascenus obierat ante septimam Synodum generalem seu Nicenam II, quæ anno 787 celebrata est sub Hadriano R. P.

(1) *ibid.* § 26.

(2) *ibid.*

(3) *ibid.* § 27. Quum hortatu Henrici Imp. Rom. Pontifex, agre tamen ferente clero, eo quod nunquam Romana Sedes in errorem lapsa fuerit, indulserit, ut in ecclesia Romana intra missarum solemnibus symbolum constantinopolitanum caneretur, eam copul prout canebatur in ecclesiis omnibus occidentalibus, id est, cum additamento *Filioque*.

(4) *ibid.*

(5) Non formali schismatis declaratione, sed potius facto ipso Græci se iterum separarunt ab ecclesia Romana. Quod observatione dignum est. Ceterum de nova hæc Græcorum defectione cfr. Georg. Pachymers *Andronicus Palæologus*, interprete P. Possino S. J. Romæ 1669, præsertim lib. I, cap. 2, 5, 9, 10, 34, 35, et lib. II, capp. 1, 2, 3. Licet enim hic auctor schi-

Theophanes Procopowicz archiepiscopus Novogradensis, quondam collegii Græci in hac alma Urbe alumnus, honorum ac divitiarum spe illectus, ut interdum ab iis sit, in patriam redux, ad schisma se dedit, atque adversus ecclesiam illam, in qua altus fuerat, arma contulit, quæ ad ejus defensionem ipsi data fuerant. Ille propterea, in suo tractatu *De processione Spiritus Sancti* (1) sordes omnes verrere non dubitavit atque in unum colligere, quæ jamdiu disjectæ atque dissipatæ erant a tot eruditis viris, sive contra processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio, sive contra particulam symbolo adjectam (2).

Hinc duo ostendere debemus adversus Græcos schismaticos, 1. veritatem catholicam, 2. jus, quo ecclesia pollet, inserendi symbolo justis de causis fidei suæ professionem. Sit igitur:

## PROPOSITIO I. — Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.

Propositio hæc est de fide, ut constat ex definitione duorum Conciliorum œcumenicorum, Lugdunensis II sub B. Gregorio X et Florentini sub Eugenio IV, in quorum primo hæc edita est fidei professio: *Credimus et Spiritum Sanctum... ex Patre Filioque procedentem* (3), in altero: *Definimus... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit* (4).

Quod quidem fidei dogma sic primo ex Scripturis probamus: Christus Joan. XVI, 13 et seqq. hæc de Spiritu S. ait: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de*

(1) Edit. Gothæ, anno 1772.

(2) Novissime excusum denuo fuit de hoc argumento lingua polonica opus, cui titulus: *Rosmowj*, etc., seu *Dialogi inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis Græco-russæ Ecclesiæ*, Petropoli 1829. Auctor horum dialogorum est celebris apud suos Filaret, in præsentem Moscoviæ metropolita et membrum sanctissimæ synodi permanentis petropolitana, ut refert ejusdem operis interpres, archimandrita Innocentius in sua præfatione. Scopus horum dialogorum est, tollere a catholicis spiritum, quem vocant *intolerantiam* (soli enim catholici, ubique oppressi, sunt intolerantes, oppressores vero *liberales* nominantur), ac vincere horrorem, quem ipsi experiuntur erga schismaticos. Incipit vero ab ecclesia, et contendit ecclesiam Græco-russicam *tolerantissimam* esse, cum in sinum suum admittat innumeras prope familias seu sectas protestantes. Deinde pergit ad articulum de processione Spiritus Sancti, et ostendere nititur purum dogma conservari apud ecclesiam Græco-russicam, non autem apud catholicam (siquidem protestantes, qui idem dogma cum catholicis profitentur, ut moris est omnium hæreticorum et schismaticorum, dimittit). Nihil vero profert, quod nullius contritum a catholicis non fuerit, ut videbimus.

(3) *Collect. Concil.* Labbei, tom. XI, part. I, col. 965.

(4) *ibid.* tom. XII, col. 511.

meo accipiet, et annuntiabit vobis. Unde sic ratiocinamur: Ille in divinis non minus a Patre quam a Filio tanquam fonte et origine procedere dicitur, qui de eo accipit, et ideo de eo accipere dicitur, quia omnia cum Patre communi fonte et origine communia habet; atqui ex verbis Christi talis est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus æque a Patre et a Filio originem habet, seu, quod idem est, æque a Patre et a Filio tanquam ex uno eodemque principio procedit.

Minor etiam confirmatur ex antiquis versionibus ante excitatam de hac processione controversiam adornatis. Etenim versio Syriaca, omnium antiquissima, sic refert verba Christi: *Ipse glorificabit me, quippe de meo accipiet... quidquid habet Pater meus, meum est; propterea dixi vobis ex meo accipiet*. Versio Persica: *Et ille est, qui me glorificabit, propterea quod a me accipiet*. Arabica vero: *Et ille me glorificabit; nam accipiet de eo quod meum est* (1). Quæ quidem versiones, ut patet, manifeste declarant Spiritum Sanctum accipere de eo quod est Filius, et ex eo quod Filius est, quia quod habet Filius, a Patre habet, jam vero Filius a Patre propriam substantiam per generationem habet; ergo Spiritus Sanctus accipit ex substantia Filii communi seu potius identica cum substantia Patris procedendo ab ipso, seu originem a Patre ac Filio trahendo.

Hinc est quod Spiritus Sanctus in iisdem sacris litteris missus perhibetur a Filio (Joan. XVI, 7); quæ quidem missio indicat dependentiam ejus qui mittitur; atqui hæc dependentia nequit esse naturæ divinæ in se spectatæ, neque imperii, quod in divinam personam cadere non potest: ergo dependentia originis dicenda est seu processionis, ut de Filio pariter dicitur respectu Patris. Spiritus Sanctus propterea vocatur *Spiritus veritatis* (*ibid.*), quæ Filius est, *Spiritus Christi* (Rom. VIII, 9), *Spiritus Filii* (Gal. IV, 6).

Atque hæc semper fuit utriusque ecclesiæ, orientalis nempe atque occidentalis, doctrina, ut ex certissimis utriusque ecclesiæ documentis patet. De ecclesia occidentali seu Latina nullum dubium esse potest; abunde enim constat, quod quoties hæretici Græci a Romana ecclesia damnati sunt, aliter nequeantes de ipsa vindictam sumere, ipsos eidem crimini vertisse, quod doceret Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Ita se gesserunt monothelita, teste s. Maximo, qui in *Epist. ad Marinum*, Cyprî presbyterum, scribit, non aliud reprehendisse Græcos monothelitas in epistola synodica s. Maximi, quam duo: *Quorum alterum est, inquit, de divinitatis ratione; quia dixit, aiunt, procedere etiam ex Filio Spiritum Sanctum* (2). Ita rursus iconomachi, teste Adone Viennensi, in chronico scribente: *Facta est nunc temporis Synodus, et questio ventilata est inter Græcos et Romanos de Trinitate, et utrum Spiritus*

(1) Vid. Polyglotta Waltonii, tom. V, pag. 489, t. 489.

(2) Cfr. Le Quien, *diss. cit.* § 40.

Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio; et de Sanctorum imaginibus (1). Hos imitatus est Photius, ejusque deinceps in impietate successores. Id ipsum constat ex conciliis hispanicis, gallicis, germanicis, italicis, a quibus longe ante schisma photianum non solum retenta avita fides de Spiritu Sancti a Filio quoque processione, sed præterea, ut jam innuimus, adjecta est symbolo constantinopolitano particula Filioque.

Sed non minus certis documentis constat perpetua fides ecclesie orientalis. Ecclesia enim orientalis non ignorabat profecto fidem ecclesie occidentalis circa eundem articulum. Nota ipsi erat epistola Hormisdæ Romani Pontificis ad Imperatorem Justinum anno 521 conscripta, in qua divinitatis et incarnationis fidem exponit, ubi de processione hæc habet: Notum est quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur æqualis, proprium Spiritus Sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis (9); nec tamen quisquam græcorum Occidentalibus movit querelam. Sane qua ratione scribere potuisset S. Hormisdas adeo asseveranter: Notum est, etc. nisi constitisset de eadem fide circa hunc articulum in utraque ecclesia, et quidem in fidei expositione, in qua vel ipsi apices expenduntur? Sic Ephesina synodus œcumenica non solum improbavit symbolum nestorianum a Charisio presbytero oblatum, in quo de Spiritu Sancto dicebatur: Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium existentiam habentem (3), sed præterea expresse approbavit anathematismos s. Cyrilli una cum ipsius declarationibus, et epistolam synodicam suam et totius ecclesie ægyptiæ nomine conscriptam ad Nestorium, in qua hæc habet: Nam etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenus in seipso consideretur, quatenus Spiritus est et non Filius; sed tamen non est alienus ab eo; Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit (4): et anathematismo IX Spiritum Sanctum proprium Filii vocat; atque in declaratione ejusdem anathematismi non solum Filium Spiritum Sanctum proprium habere proficitur, sed aperte asserit: Qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest (5).

Plenus propterea semper exiit utriusque ecclesie consensus in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre et Filio; et nemo unquam huic articulo reclamavit ex catholicis; sed solum aliqui hæretici obscuri homines, ut vidimus, absque ullo successu. Hinc deprehendimus sensum patrum utriusque ecclesie circa hunc articulum. Quod attinet ad patres latinos, res extra dubitationis aleam est. Hilarius enim Pictaviensis non solum vocat Filium largitorem Spiritus Sancti, sed etiam auctorem; Spiritum San-

(1) Cf. Le Quien, diss. cit. § 10.  
(2) Ep. LXXIX, in Collect. Concil. Labbei, tom. IV, col. 1555.  
(3) Ibid. tom. III, col. 677.  
(4) Ibid. col. 408, § 10.  
(5) Ibid. col. 825, declar. 9.

ctum esse ex Patre et Filio auctoribus (1), tanquam scilicet ab uno principio ob unam amborum naturam; sed De Trin. lib. VIII, § 20, recitatis Christi verbis superius relatis, concludit: A Filio igitur Spiritus accipit qui ab eo mittitur, et a Patre procedit; deinde ostendit perinde esse accipere ac procedere, ut superius in nota retulimus, demum concludit: Non permittenda itaque ad impiam intelligentiam hæretica perversitas est; ut dictum hoc Domini, quod, quia omnia, quæ Patris sunt, sua sunt, idcirco a se accipiet Spiritus veritatis, non ad unitatem confiteatur referendum esse naturæ (2). Sic ceteri latini patres, quorum una sententia est, Spiritum S. a Patre ac Filio procedere; ut conceptis verbis docent s. Ambrosius (3), Marius Victorinus (4), s. Augustinus (5), s. Leo M. (6), Gennadius (7), s. Fulgentius (8), auctor symboli athanasiani (9), s. Gregorius (10), ut subsequentes prætermittamus.

Nec minus concors est patrum græcorum sententia circa eundem articulum. Etenim s. Athanasius, libro De Trin. n. 19, ait, Spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum esse doceamur; rursum ibid.: Est Filius fons Spiritus Sancti; et Orat. III Contra Arianos, n. 25: Ipse (Filius) dat Spiritum, et quæcumque Spiritus habet, hæc a Verbo habet. S. Athanasio consonat s. Basilium, qui libro De Spiritu Sancto, cap. XVII, n. 45, sic loquitur: Quenadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus, secundum traditum in baptismo verborum ordinem; et ibid., cap. XVIII, n. 46: Quia et Spiritus Christi dicitur... denique tanquam paracletus in se ipso exprimit paracleti, a quo missus est, bonitatem, et in sua propria dignitate ejus, a quo processit, majestatem exhibet. Consonat s. Joan. Chrysostomus, qui con-

(1) De Trin. lib. II, n. 4.

(2) Cfr. ibid. n. 26, ubi principii loco sumit processionem Spiritus Sancti a Filio ad evincendam Filii divinitatem adversus arianos. Adeo res explorata erat!

(3) Lib. I, De Spiritu Sancto, cap. 11, n. 120: Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre et Filio non separatur a Patre, non separatur a Filio; et alibi passim, vid. opp. tom. I, col. 625, edit. Maur.

(4) Adv. Arium, lib. 1: Ex Filio Spiritus Sanctus, sicut ex Deo Filius, et Spiritus S. ex Patre. Nempe et ipse ex processione Spiritus Sancti a Filio, arguit adversus Arium, et inde ostendit divinitatem Filii. In Bibl. Patrum De la Bigue, tom. V, pag. 282.

(5) Tum alibi tum lib. XV, De Trin. cap. 17; ubi n. 27 de Spiritu Sancto ait: Qui Spiritus Sanctus secundum Scripturas sanctas nec Patris solius est, nec Filii solius, sed amborum; et n. 29: De quo (Patre) procedit principaliter Spiritus S... ideo autem addidit principaliter, quia et de Filio Spiritus S. procedere reperitur.

(6) Epist. xv. Ad Turribium Asturic. episc. cap. 1: Nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit. Vid. tom. I, col. 697, edit. Ballerini.

(7) Libro De eccl. dogm. cap. 1.  
(8) De fide, cap. 11, n. 52.  
(9) De cuius auctore cfr. Le Quien, diss. cit. n. 17, et Cajetan. Merati, diss. De Auctore et tempore symboli, quod s. Athanasii dicitur, in Thesaur. theol. P. Zaccarie, tom. III; item. Jos. Antelmi Nova de symbolo athanasiano disputatio, in-8. Paris. 1695.  
(10) Hom. xxvi in Evang. n. 2.

parans Spiritum Sanctum aquæ, quæ procedit de fonte, qui Filius et Pater est, concludit: Ob id etiam ex Patre procedit (1); consonat s. Epiphanius, in Anacorato, n. 67, dicens: Cum Christus a Patre profectus, Deus videlicet a Deo credatur; et Dei Spiritus a Christo, utpote qui ab utroque procedit, id quod Christus ipse testatur: qui a Patre procedit, inquit, et hic de meo accipiet; consonat Didymus Alexandrinus, nobilis sæculi IV (2) Scripturæ interpres, qui, libro De Spiritu Sancto, n. 34, prolatis Christi Domini verbis: Non enim loquatur a semetipso, sic prosequitur, inducens Christum loquentem...: Quia non ex se est, sed ex Patre et me est; hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est (3). Demum aliis omissis, auctore nempe antiquissimo homilie de incarnatione inter opera s. Joan. Chrysostomi, et testimoniis Anastasii Sinaitæ, Simeonis Metaphrastis, qui apud Petavium videri possunt (4), sic placet rem ipsam conficere ex ipsa hæreticorum agendi ratione:

Ariani et macedoniani 1. ex receptissima in ecclesia doctrina de processione Spiritus Sancti a Filio, occasionem nacti sunt asserendi Spiritum Sanctum a Filio procreatum esse. 2. Macedoniani ex eodem principio sic argumentum instruebant adversus doctrinam catholicam, apud s. Athanasium in Epistola ad Serapionem, n. 15: Si Filius dicitur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus Sancti (5). 3. Eunomius sic arguebat apud s. Basilium, lib. III, n. 1: Ut jam de Paracleto quoque dicamus, non vulgi opinionis temerarias sequuti, sed Sanctorum in omnibus doctrinam servantes, a quibus cum didicerimus eum dignitate et ordine tertium, tertium quoque natura esse credimus. Cui adherens s. Basilium quoad Sanctorum doctri-

(1) Apud Petav. De Trin. lib. 8, cap. 4, § 4; ex quibus patet s. Joan. Chrysostomum pro explorato habere Spiritum S. procedere a Filio. Duo alia ejusdem Patris testimonia, quæ ex Homil. in symb. citari solent, consulto omisimus, eo quod due ille homilie non reperiantur neque in editione Morelli, neque Maurinorum, nec græce ullibi existunt, sed solum tom. V editionis Parisiensis Chevallon, anni 1556, inserantur.

(2) Obiit anno 399. nonagenario major, ut ex Hieron. libro De Viris illustribus, cap. 59, et ex Palladio simul collatis discimus.

(3) In Bibl. Patrum Gallandi, tom. VI, p. 276.

(4) Lib. cit. cap. 5 et seqq.

(5) Ex hac doctrina perversa macedonianorum factum est, ut patres insisterent in asserenda Spiritus Sancti processione a Patre. Mirum proinde non est, si Adam Ternikaw ac Theophanes Prokowiez, ut refert Filaret, op. cit. pag. 49, collegerint quinquaginta patrum testimonia, in quibus hæc veritas reperitur. Sed mala fides horum auctorum in hoc est, quod dissimulaverint omnia testimonia, quæ certe pauciora non sunt, in quibus iidem patres asserunt Spiritum S. procedere a Patre et a Filio, vel a Patre per Filium. Quis unquam catholicorum negavit Spiritum S. procedere a Patre? Verum, dum hoc adstruunt, aliud non negatur; ideoque acrem verberat Filaret, dum cum suis Adam et Theophane opponit quinquaginta testimonia patrum; ut aliquid proficeret, deberet afferre vel unum testimonium, in quo Spiritus S. dicitur a solo Patre procedere, ut ipse cum suis græcis contendit, quod profecto nunquam efficit.

nam de tertio ordine processionis, negat illatam inde Eunomii consecutionem, dicens: Nam dignitate secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat, et annunciet nobis, et omnino ex illa causâ pendat, pietatis sermo tradit; verum tertiam usurpat naturam neque ab sacris litteris edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi (1).

Ut igitur paucis quæ hucusque disputavimus contrahamus, sic ponimus argumentum: Ex indolis monumentis constat 1. ecclesiam latinam semper dogmatis de Spiritu Sancti a Patre Filioque processione; 2. Ecclesiam græcam, cui id innotuit, in communionem semper fuisse cum ecclesia latina, nemine unquam, exceptis hæreticis, ullam de hoc querelam moventem, imo in quinque œcumenicis conciliis eandem fidem approbasse, confirmando s. Cyrilli epistolam ad Nestorium; 3. Patres utriusque ecclesie in eandem sententiam convenisse; 4. ipsos hæreticos antiquissimos, licet invitos, testes esse ejusdem fidei sua ipsa agendi ratione. Ergo vel dicendum universam ecclesiam per plura sæcula veram amisisse fidem, vel græcos schismaticos in turpi hæresi versari; at primum, ipsis fatentibus, repugnat; posterius igitur unice remanet.

DIFFICULTATES.

I. Obj. I. Quoties de Spiritu S. Christus loquitur, eum procedere a Patre testatur, ac præsertim expresse (Joan. XV, 26) dicens: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (2). Nec 2. quidquam adversus hanc veritatem prolata a latinis scripturarum auctoritates consueverunt. Nam verba illa: Mittam vobis Spiritum S., quo sensu accipi debeant, Christus ipse patefacit, dicens: Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Mittit igitur Spiritum S. Filius

(1) Ἀξιωματικὸν μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτὸν τὸ εἶναι ἕχον καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνων, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ δίδως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξηγημένον παραδίδοται ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος: οὐσαὶ δὲ τῆς τρίτης χρήσασθαι, οὐσαὶ παρὰ τῶν ἁγίων Γραφῶν δεδιδαγμένα, οὐτε ἐκ προσηρμένων κατὰ τὸ ἀκλόουθον δύνασθαι συλλογίσασθαι. Sic porro legendum esse hanc S. Basilii textum, tum ex serie orationis tum ex parallelis sancti hujus patris sententiis, tum ex auctoritate codicum invicte ostendit Petavius, De Trin. lib. VII, cap. 3. Miror proinde, quomodo lectionem græcorum ex paucorum Mss. auctoritate præferre lectioni latinorum, adeo in Concilio Florentino excussæ atque strenue vindicatæ, Maurinus editor maluerit. Certe Manuel Calecas, strenuus catholice fidei propugnator, hæc scribere non dubitavit, cap. 10: Quod si quis additamentum hoc esse dicit (verba παρ' αὐτοῦ, etc.), id est, ut qui, usque ad illa: causa pendeat inclusive), calumniatur. Primum enim in antiquissimis libris ista lectio deprehenditur, quorum tanta est vetustas, ut eos ante schisma perscriptos esse quisvis fateatur, quorum aliqui lituras etiam exhibent, cum quidam doctoris sententiam tanquam spuriam calumniati essent, ob idque ferro in scripturam grassati, ut contradicere possent. Sed et consequentia sermone, et phrasis ipsa valde coherens est, et doctoris proposito consentanea.

(2) Quod quidem Christi dictum græci acuti & te-lum vocare consueverunt adversus latinos.

moraliter, rogando, non physice eum spirando. 5. Ea quoque verba: *Ille de meo accipiet, et annunciat vobis*, palam de suis dogmatibus esse intelligenda, tota contextus ratio postulat. Dixerat enim: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... Ille de meo accipiet, et annunciat vobis*. Quid porro accipere de Christo poterat, ut discipulis nunciaret? Certe scientiam illam, quam intelligere tunc discipuli non poterant (1); quod confirmatur ex ipso Maldonato, qui illud: *De meo accipiet*, exponit de mea doctrina, eo ipso quod in futuro sit dictum. 4. Denam etiam illud: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, nihil evincit*; alioquin, cum omnia, quae habet Pater, ubi non intercedit relativa oppositio, habeat pariter Spiritus S., cum in generatione Filii nulla interveniat oppositio relativa inter Patrem et Spiritum S., sequeretur Filium pariter a Spiritu Sancto gigni, quod absurdum a fide est. Ergo.

Resp. ad I. Vel Neg. ut ex probationibus patet; vel D. Eum procedere a Patre testatur in sensu inclusivo Filii, C. in sensu exclusivo N. Ut enim observat s. Augustinus: *Cum de illo (Spiritu S.) Filius loqueretur ait: De Patre procedit; quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus. Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis: Accipite Spiritum Sanctum* (2). Vel etiam, ut ait s. Cyrillus Alex. in Joan. XV, ideo a Patre procedere Spiritum Sanctum dixit Christus, ut identitatem substantiae Filii et Patris ostenderet: *Ecce enim, inquit, ecce cum Spiritum veritatis, id est, sumum Paraclitum dixerit, a Patre ipso ait procedere. Sicut enim proprius est Filii Spiritus, naturaliter et in ipso existens, et per ipsum procedens, ita etiam Patris. Deum concludit: In unam Deitatis rationem Sancta Trinitas constringitur* (3). Et sane neque Athanasius, nec ceteri patres graeci, licet et ipsi legerint in Evangelio: *Qui ex Patre procedit*, a latinorum propterea sententia recesserunt, cum minime ignorarent in Evangelio pariter legi: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*; ex quo intellexerunt non posse Spiritum S. a Patre procedere, quin procedat a Filio, propter ipsam inseparabilitatem, ut loquitur s. Augustinus (4), divinae substantiae. Addatur patres minime illum Scripturarum morem ignorasse quaedam attribuendi certis personis, quae omnibus ex a quo conveniunt, ut eum dicitur de Filio: *Erat lux vera, cum Pater et Spiritus Sanctus lux vera similiter sint*. (5).

(1) Has easdem difficultates repetit Filaret, op. cit. pag. 47.

(2) Contra Maximinum Arian. lib. II, cap. 14, n. 1, quod totum fere est de hoc argumento.

(3) Hanc vero doctrinam profitetur se accepisse ex sanctorum patrum fide, *Sanctorum Patrum fidei vestigiis insistentes*, lib. X, in Joan. in v. 26, 27, cap. 13.

(4) De Trin. lib. I, cap. 7, n. 17, imo in toto hoc capite fere istud argumentum prosequitur.

(5) Cfr. s. August. loc. cit. cap. 9, n. 19, ubi usitatum ejusmodi Scripturae loquendi rationem his ver-

Ad 2. Neg. Ad probat. autem, D. Christus de morali loquitur missione simul et physica, C. de morali tantum N. loquitur enim Christus ut Deus cum dicit: *Mittam vobis Spiritum Sanctum*; loquitur ut homo, cum addit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Sic utramque missionem complectitur,

his exponit: « Propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis, dicuntur quaedam separatim, non tamen aliis separatim intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unitatem unamque substantiam, atque Deitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Post clara adeo s. Augustini testimonia aliisque non pauca, quae afferri possent, in quibus toties inculcat Spiritum S. a Patre et Filio procedere, esse *Spiritum amborum, ab ambobus tanquam unico principio procedere*, etc. quis suspicari potuisset Filaret nobis objecturum fuisse auctoritatem s. Augustini, et latinos accusaturum, quod in novis editionibus ausu temerario corruperint s. Doctoris textum lib. xv, De Trin. cap. 27, n. 50, ut suae causae patrocinarentur? Causa accusationis est, quod bis ibi mutaverint vocem *cognitionis* in vocem *cogitationis* contra omnia prope MSS. fidem. Jam vero observo 1. me non propugnare agendi rationem editorum Maurinorum, quin potius superius notavi, cum ageretur de textu S. Basilii, in quo contra omnium fere MSS. fidem favorunt potius causae graecorum quam latinorum, exacta ratione semper eorum lectioni standum non esse. 2. Si fraude ac dolo atque ad patrocinandum causae latinorum dictam mutationem induxissent graeca fide, non admonuissent omnes prope MSS. *lubere cognitionis ejus*. Adde fraudem et dolum dotem esse propriam eorum, qui errorem timentur, hereticorum scilicet et schismaticorum. 3. Nego suppositum, nempe hic s. Augustinum favere heresi schismaticorum, sive legatur *cognitionis* sive *cogitationis*; quod ut pateat afferam argumentum, quod recitatis, non absque aliqua infidelitate, s. Doctoris verbis confectum a Filaret, pag. 47: *Erasmus, ait ipse, praecipuas ideas, quae sibi mutuo respondent:*

Scientia sive cognitio-Pater  
Verbum sive cogitatio-Filius  
Voluntas sive amor-Spiritus  
Voluntas procedit a cognitione  
Ergo Spiritus procedit a Patre.

A. a) s. Doctor expresse docet voluntatem seu dilectionem a cognitione seu cogitatione, quae est Verbum, genitum a scientia, quae adumbrat Patrem, procedere, ideoque Spiritum S. procedere a Patre et Filio. b) Congruit scopus s. Augustini, qui hic est ostendere discrimen, quod intercedit inter generationem Filii et processionem Spiritus S.; quare nempe processio Filii sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti. Uitur autem similitudine animae nostrae, in qua Verbum, quod a scientia producit, praese fert imaginem et similitudinem scientiae seu conceptus, qui in mente est et a qua procedit; ex quo infert processionem Verbi esse generationem; contra vero voluntas, quae de cogitatione (seu cognitione), procedit, ejus officium est appetere, non praese fert cogitationis (seu cognitionis) imaginem et similitudinem; ex quo concludit processionem Spiritus S. non esse generationem, etsi voluntas in sua processione dependeat et a scientia et a cogitatione seu Verbo. Legatur totus contextus, et hunc genuinum esse sensum hujus loci quisque percipiet. Et haec quidem juxta illud, quod dixerat in hoc ipso capite; nam n. 58, scribit: « Inter cetera enim cum per Scripturarum sanctorum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum Sanctum, si ergo: inquam, et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: de Patre procedit? »

quam simul graeci confundunt, dum ad solam moralem reducunt.

Ad 3. Dato etiam, quod Christus de scientia loquatur cum dicit: *Ille de meo accipiet, neg. cons.* Etenim, si Spiritus Sanctus, qui Deus est, de Filii scientia accipit, ergo non a se, sed a Filio hanc scientiam habet, adeoque a Filio emanat; scientia enim et essentia in Deo idem sunt, et qui unum a Filio accipit, alterum pariter accipiat necesse est. Ceterum quominus praecise de scientia, non autem de essentia sua, Christum loquutum esse dicamus, secus ac Theophylactus, Maldonatus aliique autumant, obstant non solum allatae patrum, sive graecorum sive latinorum interpretationes, sed etiam ipsae antiquissimae versiones, quas pariter protulimus, et quae hujusmodi effugium excludunt.

Ad Maldonatum quod spectat, energice respondet Petavius, ostendendo expositionem veterum, perinde esse illud: *De meo accipiet, ac a me procedit*, non solum probabilem, sed plane necessariam esse ex ipso contextu. Si enim, assentiente Maldonato, haec verba: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt*, essentiam significant, cum Christus dixerit, ideo Spiritus Sanctus *de meo accipiet*, quia *quaecumque habet Pater mea sunt*, hoc ipso patet, quod cum dixit Christus de Spiritu Sancto: *De meo accipiet*, de sua essentia ipsum locutum esse; non aliter autem Spiritus Sanctus de essentia Filii accipere potest quam procedendo.

Nec obstat quod loquatur in futuro, *de meo accipiet*; tum quia in aeternitate nulla successio est, ideoque vere potest dici accipit, accipit et accipiet; tum quia Christus his verbis alludit potissimum ad externam processionem Spiritus Sancti, quae in interiori fundatur, quaeque externae ejusdem efficientiae gratia fieri dicitur; quare cum Christus de hac externa missione loquatur, quae futura adhuc erat, futuri tamen verbo temporis eam exprimit (1).

Ad 4. D. Si Spiritus Sanctus non esset in processionis ordine secundus, C. secus N. Jam vero, ut patet ex ipsa formula baptismi, Spiritus Sanctus ordine tertius est in ratione personae, ac proinde processionis ordine secundus: fieri proinde nequit, ut Spiritus S. gignat Filium, qui ordine ac processione anterior est ipso, etsi in activa generatione Patris nulla sit oppositio relativa cum Spiritu Sancto.

Inst. Sed si Spiritus Sanctus reipsa a Filio quoque procedit, quare Christus id aperte non tradidit? Quin potius, cum eum a Patre procedere affirmet, nonne in errorem nos induxisset, si res aliter se haberet?

Resp. Nostrum non esse in rationem inquirere, quare Christus hic potius quam aliis verborum formulis usus sit in doctrina sua tradenda; 2. Christum aperte satis et aequivalenter id docuisse in ipsis capitibus, ubi Spiritum Sanctum a se mitti affirmat, de

(1) Cfr. Petav. De Trin. lib. III, cap. 8, § 7 et seqq. ubi frangit audaciam Crellii auctoritate Maldonati abutentis.

suo accipere, et se unum esse cum Patre, omniaque se habere cum Patre communia; 3. ex hoc evinci necessitatem magisterii semper viventis pro Scripturarum explanatione, verique earum sensus assecutione, ut graeci ipsi admittunt adversus haereticos omnes qui auctoritate scripturarum abutuntur ad suos errores cohonestandos (1).

II. Obj. 1. Per symbolum constantinopolitanum jubemur profiteri *Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit*. Quod quidem evidens argumentum est veterem ecclesiam sic credidisse. Sane 2. cum s. Cyrillus posuisset in suis anathematismis Spiritum Sanctum proprium Filii esse, acriter vapulat a Theodoro, nec tamen doctus et pius hic antistes in suspicionem hanc de causa erroris venit, nec Cyrillus huic objurgationi quidquam respondit, sed 3. paulatim a persuasionem hanc sua recessit, et 4. ille perrexit a persuasionem hanc suam tueri, sive in *Epist. ad monasteria*, sive in cap. VIII. *epist. ad Rom.* tum in I ad Corinth. II, 12, ac in lib. ult. *Haeret. fabul.* cap. III. Atque hinc 5. factum est ut reliqui patres passim doceant Spiritum Sanctum a Patre procedere *per Filium*, 6. inter quos s. Athanasius, qui praeterea tum in *Refutatione hypocrisis Meletii et Eusebii*, tum in *Quest. sacris*, Spiritum S. a solo Patre procedere testatur; sic etiam s. Basilii, *Epist. XLIII*, s. Greg. Nazianz. *Orat. XXIV*, ac ipse Cyrillus Alex. lib. II in Joan. cap. III. Quorum 7. principiis imbutus s. Joan. Damascenus non solum perpetuo Spiritum Sanctum a Patre procedere docet per Filium, sed ad omnem tollendam equivocationem, *De fide orthodox.* lib. I, cap. VIII, aperte scribit: *Spiritum Sanctum et ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus* (2). Nec tamen 9. illi, aut ipse Photius ob hanc doctrinam damnati sunt, sicut ante ipsos nec Theodorus Mopsuestenus nec Theodoretus. 8. Quare ecclesia graeca, antiquitatis tenacior quam latina, veram et receptam a patribus doctrinam professam est, a qua per summum nefas recessit ecclesia latina (3).

(1) Quoniam vero nonnulli Maldonati verbis abutuntur, praestat ex eodem rationem afferre, quare Christus Dominus loc. cit. dicit Spiritum S. a Patre procedere, et non etiam a se: « Quia id, inquit, apud homines magis minuire quam commendare poterat ejus (Spiritus Sancti) testimonium. Cum enim de ipso ageretur, suspectum Spiritus Sancti testimonium videretur, si dixisset a se procedere, praeterquam quod, ut modo diximus, modestius ita loquitur. »

(2) Frustra Hugo Etherianus spuria haec verba esse contendit cum in omnibus MSS. reperiantur.

(3) His addit Moschus metropolitae Filaret, op. cit. pag. 49 ex auctoritate s. Augustini, *Serm. cxxxix* de tempore, et Theodoret *Hist. eccles.* lib. V, cap. 11, quorum alter graece in Asia, alter in Africa latine eodem ferme tempore, ita ut neuter de altero sciret, scripserunt, decretum Damasi ac totius concilii Romani: « Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie sicut Filium de divina substantia, et Deum verum, Dei Verbum, anathema sit. » Hinc exultat adversus catholicos. At bonus vir multipliciter labitur, ac 1. in eo quod tribuat s. Augustino sermonem cxxxix, qui spurius est et confusus ex diversis operibus Nestorio faventibus; 2. in eo quod

Resp. ad 1. D. Ad excludendum macedonianorum errorem, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere dicebant, sed non a Patre, C. ad excludendam processionem a Filio N. Macedoniani enim, utpote arianorum surrecti cum tres gradus in personis divinis ponerent, autumabant Spiritum S. a Filio procreatum esse, ut igitur patres Constantinopolitani directe huic impietati se se opponerent, adjecerunt in symbolo citata verba. Atque hinc est quod subsequentes patres solliciti semper in eo fuerunt, ut adstruerent Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere, ut mox dicemus (1). A Filio vero illum procedere cum pro certo haberetur, synodus illa nihil de hoc decrevit.

Ad 2. D. Ex falsa suppositione quod Cyrillus his verbis Apollinaris et Macedonii impietates exprimeret, C. sensu catholico N. Hanc veram esse causam reprehensionis Theodoretii, liquet ex ejus *Epist. ad monasteria*, scripta adversus anathematismos s. Cyrilli quaeque lecta est in quinta synodo, cujus haec verba sunt: *Blasphematur vero (Cyrillus) et Spiritum Sanctum non ex Patre ipsum procedere dicens, secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste vero Apollinaris seminum fructus est; propinquat vero et Macedonii malignae culturae* (2). Ergo eatenus improbat est a Theodoro Cyrilli sententia, quatenus ex ejus mente Cyrillus errorem Apollinaris et Macedonii prae se ferebat, non improbat, si alio sensu dixisset. Aliam vero esse mentem s. Cyrilli, inutile est ostendere; cum id plane compertum sit (3). Exinde ratio

assecutus non sit sensum decreti Damasi in citato anathematismo, qui aperte eruitur, sive a Theodoro, sive a consarcinate sermonis Augustino tribuit. Sic vero apud Theodoretum incipit confessio fidei catholicae, quam Damasus Papa in Macedoniam misit ad Paulinum: *Quoniam post concilium Nicaenum hic error emerit, ut quidam ore profano dicere audeant, Spiritum Sanctum per Filium factum esse anathematizamus eos; atque eodem sensu postea subiungit anathematismum modo prolatum, et alium: Si quis dixerit Spiritum S. facturam ac per Filium factum, anathematizamus. Auctor vero citati sermonis incipit: Credimus quoque sanctum Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedit*, postquam confessionem et iuxta hanc fidei confessionem adiecit anathematismos. Non igitur dictum est a Damaso, Spiritum S. a Patre procedere ut excludat ejus processionem a Filio, sed ad profitendam ejusdem cum Patre divinitatem, adversus errorem macedonianorum.

(1) Compertum etiam est, arianos docuisse Spiritum Sanctum immediate a solo Filio tanquam per instrumentum esse productum a Patre, cui errori refellendo patres insistebant. Inferius hujus assertionis, quae magnam affert lucem ad dictiones patrum explorandas, documenta dabimus.

(2) *Collect. Concil. Labbei*, tom. v, col. 503.

(3) Apollinaris enim, adducto exemplo solis, radii et splendoris, qui a sole per radium emittitur, Spiritum S. magnum, Filium majorem, Patrem maximum, diversos gradus in Trinitate statuendo, effutiebatur, ut sicut Filius minor esset Patre, utpote natus ex Patre, ita quoque Spiritus Sanctus esset Filio minor, quia procreatus ex Filio. Hunc vero sensum propositionis s. Cyrilli affingebat Theodoretus, ut eum carperet, pro livoris astu quo erga praestantissimum doctorem agebatur. At omnem apollinarismi suspicionem s. Cyrillus tam circa hoc quam circa alia

habetur, cur nec Theodoretus ob hanc causam in suspicionem heterodoxae doctrinae venerit, et s. Cyrillus non institerit.

Ad 3. Neg. Haec gratuita calumnia graecorum est, quae ex omnibus operibus a s. Cyrillo post anathematismos conscriptis refellitur. Etenim Spiritum Sanctum procedere a Filio docet in *Thesouro*, assertionem XXXIV; in *Dialogis de Trinitate*, ac praesertim dial. VII, ubi scribens in illa Joannis verba: *In hoc cognoscimus*, etc. (1), infert Spiritum Sanctum non esse alienum substantive et sejunctum a Filio, quippe qui *ex ipso, et in ipso, et ipsius proprius sit*. Alibi saepe eadem repetit (2).

Ad 4. D. Sensu exposito, C. sensu graecorum schismaticorum N. In omnibus siquidem citatis locis constanter docet, Spiritum Sanctum a Patre procedere, et ex Deo esse, ad respuendam haereticorum insaniam, qui eum Filii facturam existimabant. Hic satis sit ejus verba proferre ex lib. V *Haeret. Fab.* cap. III, ubi, prolatis Apostoli verbis ex I Cor II: *Nos enim non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est*, addit: *Hac ratione cum Patre et Filio semper conjungit* (Apostolus), *cum creatura autem nunquam conjungit. Non enim creatura partem illum esse novit, nec primam facturam nominat secundum Arii et Eunomii et Macedonii blasphemiam*.

Ad 5. D. Id est a Filio, particulam per loco a usurpantes, C. alio sensu N. Quaecumque cavillationem diluerunt Florentini patres, declarantes: *quod, id quod sancti Patres et Doctores dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem* (3). Enim vero Nazianzenus, Cyrillus, Epiphanius modo voces *ex Filio* sumunt, modo *per Filium* (4); promiscue pariter in Scripturis has voces esse, exploratum est; ac demum explicavit orientalis ecclesia russionum anno 1752, ut refert Frantz (5).

doctrinae capita, a se repulit in secunda praesertim epistola, quam scripsit ad Successum, quae prostat tom. v, pag. 41. edit. Paris. 1658.

(1) *Epist. 1. Joan. iv, 13.*

(2) Cfr. Le Quien, diss. cit. § 4.

(3) Apud Labb. *Collect. Concil.* tom. XII, col. 4166.

(4) Cfr. Petav. qui (*De Trin.* lib. VIII, cap. 17, § 2 et seqq.) fuisse ostendit, innumeris prope, sive ex sacris Litteris, sive ex graecis patribus productis exemplis, promiscue sumi particulas *ex, per, et, ex, ex*, ideoque, quod consequens est, tantumdem esse, Spiritum dicere per Filium a Patre procedere, atque ex Filio.

(5) V. P. Ignatii Frantz, S. J. in Pragensi Univers. Prof. dissert. *Super formulis Graecorum et Latinorum de confitenda Spiritus Sancti processione*, quae habetur in *Thesouro Theologico* Zaccariae tom. III. Jam vero hic auctor sub finem § 5, haec habet: *Solemnis synodus (confessio) Ecclesiae orientalis pro Ecclesia Russionum quam Graeci sororem appellant suam, recentibus typis edita anno 1751, pag. 81, haec continet: Docent*

Ad 6. Neg. Siquidem primum opusculum nunc critici inter dubia, alterum vero inter apocrypha ejusdem S. Doctoris opera recensent (1).

Ad 7. D. Et per illud *ex Filio* (*ἐκ τοῦ υἱοῦ*) S. Joannes Damasc. exclusit a Filio principalem causam divinarum processionum, quam Graeci *τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν* (procatarteticam causam) appellant, C. processionem ipsam N. Nempe citatis verbis id unum vult s. Doctor, Filium non esse principium absque origine, sed solum esse principium Spiritus Sancti cum origine, eo quod solus Pater tale principium sine origine sit, cum omnia quae Filius habet a Patre acceperit, et ideo consecutus addit s. Joannes Damascenus: *Solus Pater principium est*. Ita explicant hunc locum graeci ipsi doctores, Manuel Calecas, cap. XXXIX; Demetrius, *De process. Spiritus S.* cap. XI; Bessarion, in *Orat. dogm.* cap. VI. Sane noluisse per citata verba Joannem Damascenum excludere processionem Spiritus Sancti a Filio patet ex pluribus locis, in quibus expresse tradit, Spiritum S. a Patre per Filium produci vel procedere; sic in cap. *De divinis nominibus*, Pater dicitur *per Filium producem manifestantem Spiritum*; et rursus: *Spiritum autem Filii, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens*; et in fine *Epist. ad Jordanem*, aeternam Spiritus S. processionem diserte enunciat his verbis: *Spiritus Sanctus est ex Patre, siquidem per Filium procedit, non tamen filiationis more* (2); et alibi passim (3).

Scriptura Joan. I, 10, in mundo fuit, et per ipsum (Verbum) mundus factus est, hoc est: ab ipso. Ubi jam ante oculos est, quemadmodum Graeci dicunt et ex pro eodem sumere non vereantur.

(1) Consulat Maurinus editor opp. S. Athanasii tom. II, seu vol. III in admonitione ad *Refutationem hypocrisis*, etc. num. 2. Ubi tum ex materia ipsa, tum ex styli varietate, tum ex tractandi ratione scriptoris hujus opusculi, qua orthodoxae praesertim sententiae argutiis atque cavillis impugnantur, ac demum ex veteribus codicibus ostendit hujus opusculi auctorem s. Athanasium non esse. Vid. pariter. ib. monitum praemissum alteri opusculo, s. Athanasio tributo, cui titulus, *Questiones aliae*; ubi ait, neminem esse, qui Athanasium tantarum nugarum, quot in eo reperiuntur, patrem esse, suspicari possit; censet vero harum quaestionum auctorem vixisse post exorta certamina inter latinam et graecam ecclesiam. Idque sane luculenter evincitur ex quaest. XI et XII.

(2) Quae est epistola *De hymno Trisagio* n. 28.

(3) Ut in *Dial. contra Manichaeos*, etc. Cfr. Le Quien in nota ult. ad cap. 8, libri I *De fide orthodox.* ubi ostendit i. S. Joannem Damasc. ceteris patribus graecis apprime consentire in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre per Filium; 2. non alio sensu eundem negare Spiritum S. a Filio seu ex Filio esse, quam quo s. Maximus in *Epistola ad Marinum* presbyterum Cyprum scribit, latinos patres interpretandos esse, ubi Spiritum Sanctum ex Filio procedere asserunt, ut *Filium esse Spiritum S. causam senserunt*; *ὅτι αἰτίαν τὸν ποιῶντα τοῦ πνεύματος*. Unam enim noverunt cum Filio tum Spiritus Sancti causam, Patrem scilicet; sed ut significant eum *δι' αὐτοῦ προῦντα*, per ipsum prodire, atque hoc pacto substantia cognitionem et indifferentiam expriment; id est, ad denotandum Filium non esse causam principalem (procatarteticam) Spiritus Sancti, cujusmodi solus Pater est. Cum haec ratione cavere veteres, ne more ariano

Ad 8. Resp. quoad Joannem Damascenum falso laborare supposito graecorum exceptionem, ut ex modo dictis patet.

Theodori vero Mopsuesteni symbolum, quod exhibuit Charisius presbyter concilio Chalcedonensi, ac Theodoretii scripta, adversus s. Cyrillum exarata, reipsa repudiata fuerunt; symbolum quidem Theodori a concilio ipso Ephesino (1); Theodoretii vero scripta partim rejecta sunt et retractata ab ipsomet Theodoro, cum Cyrilli synodicas epistolas suscepit, ut animadvertit Card. Norisius (2), ac demum in concilio oecumenico V proscripta fuerunt (3).

Photius damnatus non fuit, sive a Romanis Pontificibus, sive a conc. VIII, etsi processionem Spiritus Sancti a Filio negaverit, quia ad evitandum ejus schisma synodus VIII celebrata est, et in hoc principale lactum incubuerunt Romani Pontifices, non quasi approbaverint ipsius errores.

Ad 9. Neg. antec. Ab iis enim 1. quae ad fidem pertinent, ecclesia latina, seu potius ecclesia catholica deficere ne latum quidem unguem potuit, nisi Christus promissis suis defuerit. Addo 2. nec potuisse deficere ecclesiam latinam, quin cum ipsa ecclesia etiam orientalis defecisset, quae semper usque ad Photium cum ipsa in perpetua communione fuit; exploratum autem est, ecclesiam latinam, ut ex omnibus allatis monumentis constat, professam fuisse processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio; 3. non potuisse eam recedere ab antiqua fide, quia ejusdem praeviationis rea extiterit ecclesia graeca, quae solemniter in duobus conciliis oecumenicis Lugdunensi II et Florentino eandem doctrinam professam est: 4. patres graecos non nisi loquenti ratione, neque id constanter, a patribus latinis dissentire, quia quod latini exprimebant per verba *a Filio*, graeci dixerunt *per Filium*; sed quoad rem ipsam, per diversa verba significatam, apprime inter se convenire. Dixi neque id constanter, quia interdum patres graeci dixerunt Spiritum Sanctum procedere *a Filio*, et Patres latini interdum et ipsi dixerunt eundem procedere *per Fi-*

Spiritum Sancti productio in Filium praesertim re-funderetur, et quidem actione quae a Paterna distincta sit. 5. Ostendit, tum S. Joannem Damascenum, tum reliquos antiquos patres docere, Spiritum S. a Patre *per Filium* progredi, ut illius actionis naturalis, qua Pater profundit Spiritum, nequaquam exors sit Filius, quantumlibet Pater solus fons, oculus, scatebra, principium et auctor Spiritus habeatur; quinimo divina natura, ut intelligitur a Patre prius secundum ordinem originis communicari Filio quam Spiritui S.; illam in Filio quoque fecunditatem suam servare, quae incepta in Patre, prout eleganter expressit s. Gregorius Naz. celebri illo effato: *Unitas, a principio in dyada seu binarium progressa, in triade seu Trinitate constitit*, seu, ut ait s. Greg. Nyssenus, una Deitatis substantia, unus voluntatis optimae motus a Patre proficiscitur, per Filium progreditur, et in Spiritu completur.

(1) Cfr. acta hujus concilii apud Labb. tom. III, col. 690.

(2) In Diss. *De Synodo* v, cap. 41, tom. 1, cap. edit. Veron. 1729, col. 795.

(3) Actione VIII, can. XIII; apud Labb. tom. v, col. 578.